

re aggreditur. Peream, si quid boni a Sceptico. *Dicæarchi*, inquit, opinio indigna est *Philosopho*: qui sic enim, ut ille, ratiocinatur, vagatur sine ullis scientiæ principijs, nec quid sit systematica harmonia intelligit. Quicumque ponit, animum atque animam non esse a corpore distinctam, vimque esse in omnibus corporibus vivis equaliter fusam, unamque efficere rem & naturam cum corporibus viventibus, aut ipse se non intelligit, aut is defendat etiam oportet, eam virtutem nullo unquam tempore a corpore separari posse. Nempe quod a corpore distinctum non est, essenziale est corpori, pugnatque vero cum manifesta ratione, quæ sunt enti essentialia, separari ab eo posse. Quod si verum est, & cadavera ipsa vivunt, & partes corporis singula, quæ ab illo decidunt quotidie, partem quoque animæ secum trahent. . . . Præterquam quod si corpus doloris capax est, aut voluptatis, quin ulla alia substantia animetur, ubicumque eadem est corporis natura, in lapidibus, in metallis, tum etiam in distluentibus corporibus aqua, & aëre, eundem inesse sensum necesse est. Sentiebat *Bælius* argumentorum suorum imbecillitatem: non enim tam obtusi erat pectoris, ut non animadverteret, esse, qui reponerent, vitam & sensum non competere corpori *ἰσχυρῶς essentialiter*, sed ejus potius esse modificationes, quæ dilapsa machina humana, abesse possint, quin naturæ corporis quidquam detrahatur. Eam igitur exceptionem occupatum it. *Timeo Danaos, & dona ferentes*. „ Ea, inquit, doctrina absurda est: nam omnes modificationes sunt ita natura comparatæ, ut earum nulla destruat unquam, nisi alterius similis intrusione: ita nunquam deletur in corpore figura, nisi altera figura, non color, nisi colore altero. . . . Qui igitur his principijs consentaneè ratiocinari velit, is dicere debet, non cessare in homine sensum & vitam, nisi alterius sensus & vitæ intrusione: id si ita est, næ homines beati, qui velint nolint, semper victuri sunt. . . . Regerent, esse in corpore modos, qui destruantur, quin alii ejusdem generis eorum locum occupent: proferetur exemplum motus, qui quiete, re nempe minime positiva, cessat. Repono falsum „ esse,

„ esse, differre motum & quietem, velut positivum, & ejus privationem: sunt potius ambo entia positiva, nec differunt, nisi externis relationibus. Nam quies est conservatio præsentia in loco eodem: motus ejus præsentia commutatio &c. „ Nempe adeo perturbabatur exemplo motus *Bælius*, ut homo alioquin Scepticus, quod mirum, ne a cœpto desisteret, ineptum protulit, & quod *Physici* omnes rideant. Quis enim concoquat, novam hanc motus & quietis theoriam? Nihil esse potest clarius, quam motum esse actionem realem, quæ ex corpore in corpus transeat, quaque separabilis a corpore sit (a).

Disquiram nunc in *Aristotelis* sententiam, quem ego cum *Dicæarcho* idem sentire mihi persuasi. Fieri potest, ut fallar: sed rationes, quibus id ego censeo, candide exponam. Quid igitur *Stagirita* philosophus de animæ natura senserit, perabsurdum ego existimo aliunde quærere, quam ex ejus de anima libris: in iis enim ea de re ex proposito, magnaue, ut videtur diligentia, disputat. In eorum autem primo principio *φανερὸν εἶναι* perspicuum esse scribit, animam neque *κίνησιν* (b) esse seu motionem ullam intestinam, neque *ἀρμονίαν* τινὰ, ullam corporis harmoniam (c) neque *ἀριθμὸν κινῶντ' ἑαυτὸν* (d) numerum seipsum cientem; neque componi *ἐκ τῶν στοιχείων*, & elementis quantumvis *λεπτομερέστατων, ἢ ἀσωματώτατων*, tenuissimis, maximeque incorporeis (e). Quibus ex rebus fit, ut hic minus attento lectori videri possit, animam *Aristoteli* constitui rem & per se subsistentem, nec a corporis substantia intrinsicè pendentem, & omnino incorpoream.

Sed alia existimabit, quum sequentis libri priora duo capita attente perlegerit. Horum enim primo ait, animam esse *ἰσχυρῶς*: sed hoc vocabulum (quo veteres

Græ-

(a) Vide *Mousschembroek* *Element. Phys.* §. 107. & 110. & seqq.

(b) Cap. 3. & 5.

(c) Cap. 4.

(d) Cap. 6.

(e) Cap. 7. Hoc in loco animadvertas velim, *Aristotelem* *ἰσχυρῶς* pro corpusculis valde minutis atque subtilibus accipere.

Græci intelligebant id omne, quo res quælibet constaret, ac propter quod subsisteret) tripliciter accipi oportere: nam & ὕλη, materia, & εἶδος, forma, & quod est ex αὐφθον ἀμβόβωσιν dicitur. Anima nec ὕλη est & ὑποκειμενον subjectum, nec totum compositum: sed μορφή & εἶδος, forma & species, forma nempe τῆς ὕλης materia, non cuiusvis, sed corporis organici; quum nemo dixerit, animam aut in aëre, aut igne, aut aliis in rebus manifeste inanimum inesse. Porro ὕλη materia est δυναμὶς potentia; εἶδος vero seu forma ἐντελεχία, perfectio scilicet ultima, quo corpus organicum hujus entelechiæ subjectum & materia animal postremo fit, atque est (a). Est igitur corpus quidem organicum subjectum & materia animæ: anima vero ἐντελεχία corporis: non autem quævis ἐντελεχία est anima, sed ea ἐντελεχία, quæ fit εἶδος, forma corporis organici, qua fiat, ut corpus organicum sit & dicatur vivens.

Jam εἶδος species cum duplici sensu accipi posse scribit, habitu nempe, vel actu, seu, ut ille loquitur, ὡς ἐπιστήμη, vel ὡς πρὸ θεωρεῖν, vel ut in scientia, vel ut in contemplatione. Ac vero geometra etiam quum dormit, geometriæ ideas, formas, species, scientiam denique animo tenere dicitur, quanquam eas non contempletur; habitu ergo habet, non actu. At is, qui theorema aliquod geometricum contemplatur, actu ejus speciem in animo depictam ac vividam habere dicitur.

(a) Est profecto entelechia a veteri τῆλω, facio. Puerile est querere per δ, an per τ scribatur, ut Superioribus sæculis Hermolaus Barbarus videtur dubitasse. Sed nec cacodemon invocandus erat, quo ejus vocis notio intelligeretur, quod hunc eundem Hermolaum fecisse narrat Petrus Crinitus, nisi id per satyræam confixerim: nam ipse Aristoteles satis aperte demonstrat, quid ea sibi velit, qua & libri φυσικῆς ἀποκρίσεως referri sunt. Ut enim ferum, quo evadat securis, opus habet forma securis, eaque perficitur securis; ita singula res nature non sola materia id sunt, quod sunt, sed formis: iis igitur perficiuntur; sunt igitur formæ entelechiæ complementa rerum ultima; in eoque a formis artificialibus differunt, quod entelechiæ ipse per se activa sint, vi nempe φυσικῆς, nature, quam ille definit εὐμὴν μεταβολῆς ἐμφορῶν, impetum mutationis insitum. Vide lib. II, Phys. cap. 1.

citur. Quum ergo anima sit εἶδος forma & species, non cuiusvis corporis, sed organici, certe non actu est εἶδος, sed habitu, agitque per modum habitus; idque ait esse φανερόν, clarum, perspicuumque (a): perdurat enim instar infixi habitus.

Forma est quidem εἶδος, sed hoc sensu, quod eo efficiatur, ut materia, quæ per se ipsa nequit esse π, seu aliquod definitum determinatumque, sit π α; nam materia ipsa per se nec ignis est, nec aër, nec aqua, nec planta, nec animal, sed subjectum horum omnium commune, ut censet Aristoteles. Quo igitur aut ignis sit, aut aqua, aut planta, aut animal εἶδος efficit, seu ἐντελεχία (nam & ad omnes formas hoc vocabulum aptat in physicis). Hoc ergo sensu anima dicitur substantia (εἶδος), quod res quædam est, qua fit, ut materia sit π α, aliquid scilicet definitum, quod distincte esse, intelligi, ostenderique possit, animal nempe. Et quomodo (nam hoc exemplo utitur sæpe) ferrum neque serra est, neque securis, neque ullum aliud ex iis instrumentis, quæ ex ferro fabrefiunt: forma autem serra sit, aut securis: eodem modo animal fit quidem ex materia eadem, qua res ceteræ, sed entelechia, forma, anima. Sed anima & corpus sunt unum? Id non minus absurde quæri ait, ac si quis quærat, globus ceræ ejusque rotunda figura sunt, necne, unum? Nam aliud est esse unum, aliud id, quo unum dicitur. Res autem dicitur una ob entelechiæ (b). Scilicet quum forma fit id, quo materia res definita & determinata evadat, formæ profecto debet, ut hoc fit, aut illud, adeoque ut unum dici possit. Quæ quidem paullo obscure dicta ex altera quæstione, quam præcise definit, dijudicari possunt. Separabilisne est anima a corpore? Anima tam est essentia corporis hujus organici, quod vivit, quam forma securis est securis essentia (c), εἶδος enim est omne id, quo res aliqua constat. Quomodo ergo si a securi formam separes,

(a) Lib. II. cap. 1. v. 11. ex edit. Duralli.

(b) Eodem cap. v. 14.

(c) Ibidem v. 16.

pares, ferrum est, non securis; ita si a corpore separatur anima, non amplius id est, quod anima efficitur, animal nempe. Quibus rebus efficit, animam separari a corpore animali generatim non posse, quin illud desinat esse $\omega \pi$: nec si separaretur, eam subsistere: $\epsilon\kappa$, inquit, $\epsilon\sigma\tau\iota \eta \psi\upsilon\chi\eta \chi\omega\rho\iota\sigma\eta \tau\eta \sigma\omega\mu\alpha\tau\omicron\varsigma$, non est anima separabilis a corpore, ut visio non est ab oculo separabilis; idque esse ait $\epsilon\kappa \alpha\delta\upsilon\lambda\omicron\nu$, minime obscurum. Sed quid hæc sibi volunt, animam non esse a corpore separabilem? Nempe non posse corpus animale concipi sine anima, nec animam, idest perfectiorem corporis, sine corpore, idest sine re, cujus est perfectio, subsistere: nam in extrema hujus capituli parte, præclare, ait, *ii putant, quibus videtur, animam $\mu\eta\tau\epsilon \alpha\nu\epsilon\upsilon \sigma\omega\mu\alpha\tau\omicron\varsigma \epsilon\iota\nu\alpha\iota$, $\mu\eta\tau\epsilon \sigma\omega\mu\alpha \tau\eta\varsigma \psi\upsilon\chi\eta\varsigma$, nec sine corpore esse, nec corpus (organicum & vivens, de quo loquitur) sine anima. Quomodo nec globus ceræ sine rotunda figura: nec hujusmodi figura sine materia, cujus perfectio est, & $\omega \pi$.*

Illud in dubio esse potest, an hæc de sensitiva juxta & intellectiva anima dicat, an de priori tantum. Hoc eodem capite aperte ait, sensum a ratione differre, partemque animæ theoreticam seu contemplativam esse $\psi\upsilon\chi\eta\varsigma \gamma\epsilon\nu\theta\epsilon \epsilon\tau\epsilon\rho\nu$, anima genus diversum ab anima sensitiva, & hoc solum theoreticum, & logicum posse a corpore separari $\kappa\alpha\delta\alpha\upsilon\tau\epsilon\rho \omega \alpha\iota\delta\iota\omicron\nu \tau\eta \phi\upsilon\delta\alpha\upsilon\tau\eta$ velut immortale a mortali. Interim sequenti capite unius ejusdemque animæ facultates has numerat, nutritivam, sensitivam, appetitivam, locomotivam, & dianoeticam, seu cogitantem. Ac quanquam sedulo ille distinguit contemplantem mentem a facultate dianoetica; quarum hanc & brutis tribuit, $\delta\epsilon\omega\rho\eta\tau\iota\kappa\omicron\nu$ vero $\nu\epsilon\upsilon$ solis hominibus (a); id ita facit, non ut revera mentem velut per se subsistentem constituat, sed ut animum humanum una proprietate ditiolem esse, quam brutorum animam, doceat. Intelligere & sentire longe esse inter se diversa acute adversus veteres probat: ita tamen, ut non distinguat, subjectis ne differant,

(a) Lib. III. cap. 3.

rant, an facultatibus. Eiusdem libri cap. 5. ait, distinguendum intellectum, qui intelligibiles species excipit, ab eo, qui æstimat ac dijudicat: $\nu\epsilon\upsilon$ utrumque vocat. Ille $\delta\upsilon\nu\alpha\mu\iota\varsigma \rho\omicron\tau\epsilon\sigma\tau\alpha\varsigma$ est: hic $\epsilon\nu\epsilon\rho\upsilon\gamma\iota\alpha$, actus. Hic non adest semper, quum ne oculis quidem sua semper insit energia, licet semper vis & potestas: illa perpetuo adest. Qua autem ratione distinguuntur? Nempe, ut curvatura lineæ ab eadem linea, si extendatur ac recta fiat. Quomodo ergo separari potest curvitas a linea, ita intellectus agens, seu potius intellectus energia, ab eo intellectu, qui est potestas, quemque passivum scholæ vocant. Hinc (passivus) a corpore separabilis non est: adeoque cum corpore perit. Ille separatur, estque res $\alpha\delta\alpha\nu\alpha\tau\theta$, $\kappa\alpha\iota \alpha\iota\delta\iota\omicron\varsigma$, immortalis & æterna. Sed tamen hic immortalis & æternus nihil intelligit sine altero mortali, $\alpha\nu\epsilon\upsilon \tau\upsilon\tau\eta \nu\delta\epsilon\nu \nu\omicron\tau\epsilon\iota$. Quod quid est aliud, quam fucum facere lectoribus minus attentis, ac Platonis amatoribus adulari? Quæ, ut dixi, me cogunt suspicari, hæc non ex sua, sed ex populi sensu dixisse. Certe systemati suo minime sunt illa consentanea: tam enim mihi certum est, animam humanam nihil esse Aristoteli aliud, nisi vim toto corpore fusam, *perfecti habitam*, ut ille vertit, corporis, atque ab organizatione inseparabilem; ejusque diversas esse facultates vim sentiendi, & vim intelligendi; quam quæ sunt certissima. Vide caput 9. & 12. hujus tertii libri, quibus paullo apertius ea de re loquitur. Enimvero quid sibi volunt hæc verba capituli 12. $\epsilon\kappa \omicron\iota\omicron\nu \tau\epsilon \delta\epsilon \sigma\omega\mu\alpha \epsilon\chi\epsilon\nu \mu\epsilon\nu \psi\upsilon\chi\eta\nu$, $\kappa\alpha\iota \nu\epsilon\nu \kappa\rho\iota\tau\iota\kappa\omicron\nu$, $\alpha\sigma\theta\eta\sigma\iota\omicron\nu \delta\epsilon \mu\eta \epsilon\chi\epsilon\nu$: Fieri autem nequit, ut corpus habeat animam, atque mentem judicantem, nec tamen habeat sensus. Ac quia omnes sensus sunt tactus; conficit, nullum esse animal posse sine tactu. Sed nec tactus esse in simplici corpore potest, aëre, igne; nullum igitur esse potest animans, igne, aut aëre conflatum. Ignis igitur, ut non sentire, ita ne cogitare quidem potest. Quum ergo Aristoteles alibi docere videatur, vim intellectivam, quæ ex ejus sententia sine sensitiva esse nequit, esse ignem, aut quintam quamdam usiam corpoream & tenuissimam

mam ab altris advenientem, aut a φύσει τὰ παντὸς, a natura universi, aut pantheistam se prodit (a), aut fucum minus intelligentibus facere vult; aut hujus rei ignorantiam confictis spectris tegere. Utcumque sit, vocabulum *entelechia*, quo nullum suo systemati aptius esse poterat, satis aperte demonstrat, animam ab Aristotele non ita habitam fuisse, ut ejus interpretes quidam arbitrantur, velut rem, quæ per se subsistere possit. Sed veluti habitudinem quandam, & temperationem organici corporis, quæ ab eo separata nihil sit. Hoc sensu & harmonia dici potest Aristotelis anima ejusmodi, ut ut ille inficietur. Quin hic idem philosophus de Rep. lib. VIII. cap. v. extremo, quo plene persuadeat, pueros docendam esse musicam, non sine tacita approbatione scribit; *quocirca multi sapientes partim animam harmoniam esse dixerunt; partim ex harmonia constare (b).*

Sed perpendamus hic paucis insignem ejusdem philosophi locum de generat. animal. lib. II. cap. 3. Principio docet semen, & foetum, qui ex femine gignitur,

(a) Sextus Empiricus lib. 1. adversus physicos cap. II. memoria prodit, Aristotelem hoc pacto divinationem explicuisse: ὅταν γὰρ ἐν τῷ ὑπνῷ καθ' ἑαυτὴν γενήσεται, ἡ ψυχὴ, τότε τῶν ἰδίων ἀπολαύβασα φύσει, προμαντεύεται τὰ καὶ προαγορεύει τὰ μελλούσα. Τίτλωται δὲ ἐστὶ καὶ ἐν τῷ κατὰ τὸν θάνατον χωρίζεσθαι τῶν σώματων. Quando enim somnians apud semetipsam fuerit anima, tum propriam sumens naturam, divinat, prædicitque futura. Sed & idipsum quoque efficit, dum prope mortem separatur a corporeis. Animadvertatur hic σῶματι vocari a philosopho Stagirita corpora crassiora: superius enim vidimus, tenuissima corpuscula dici incorporea. Ab his igitur corporibus separatur in morte anima; eoque tempore divinat. Quid ita? Quia scilicet tum suam φύσιν naturam ac propriam accipit, eque atque dum dormimus. Quæ ea sit natura perquiri posset. Sed constat, in Aristotelis systemate omnes formas naturales e sinu materiae proficisci, in eamque redire, quum dissolvuntur, idest quum separantur. Est ei materia una atque immensa, sed φύσει τὰ παντὸς animata. Cum hæc materia, eaque natura rerum omnium genitrice junguntur anima, quum separantur. Mundana igitur anima (quid enim vetat eo vocabulo naturam peripateticam vocare?) fons est animarum ceterarum, si Aristoteli credimus.

(b) Ejus verba sunt hæc: Διὰ πολλοὶ φασὶ τῶν σοφῶν, οἱ μὲν ἐκ κοινῆς εἶναι τὴν ψυχὴν, οἱ δ' ἔχειν ἰσμοῦνται.

tur, suo modo vivere: nam quum & φύσει stirpes vivunt, & prolifica sint, absurdum profecto fuerit, σπέρματα καὶ τὰ κνήματα τῶν ζῶων, semina & foetus animalium omni esse vita destituta. Sed hæc seminis masculini vita nihil initio generationis est aliud, nisi pura vegetatio. Paullatim deinde ac veluti per gradus explicatur seminis vita, quousque τέλος finem, quem natura sibi proposuit, attingat, ὑπερον γὰρ γίνεσθαι πᾶν τέλος, ultimus enim est finis, propter quem scilicet agit natura. Ac præcedit quidem sensus, qui vegetationem proxime sequitur (a). Jam anima illa δρεπτικὴ vegetans est in spermate ac foetu δύναμις, ἐκ ἐνεργείας, potentia ac vi, non actu, priusquam foetus nutrirī incipiat; non secus atque plantarum semina vi quidem & potestate vivunt, priusquam germinant, non etiam actu. Quid vero sensitiva, est ne & ipsa in spermate vi ac potestate? Quid postremo rationalis? Eodem, inquit, prorsus modo: ἐπομένως δὲ δηλοῦσι, καὶ περὶ τῆς αἰσθητικῆς λεπτέον ψυχῆς, καὶ περὶ τῆς νοητικῆς, consequenter dicendum & perspicuum est (nec vero dubium) idipsum esse & de sensitiva anima, & de intellectiva. Utraque igitur hæc anima potestate, ac vi in spermate est, ut vis vegetandi in plantarum feminibus. Quid igitur illud est, quod extrinsecus concepto animanti accedit? nempe ἐνεργεία, actio, motus. Hæc a sole & astris. Negat ille quidem esse ab igne: ignem autem hunc nostrum intelligit elementarem, a quo Aristoteles longe differre existimat elementum τῶν ἀστῶν, stellarum, quas de cælo lib. II. cap. IX. negat esse igneas; ac ut intelligi possit, φύσιν nostri ignis ἀναλογον proportionalem esse ait τῶν ἀστῶν στοιχείῳ elemento, idest στοιχῆς substantiæ astrorum, quæ quid sit, ne ipse quidem satis intellexisse videtur. Neminem ergo amplius Stagirita deludat, quum

Tom. III.

G

ait,

(a) Hic interpres, quum Aristotelem partem tantum αἰσθητικῆς, sensitivam memoret, de jacinare suo rationalem quoque obtrudit, cujus hoc in loco nec vestigium est, nec vola. Scilicet ad ea lectionem preparare voluit, quæ paullo post erat additurus, quo Macedonis philosophi doctrina de mente minus absurda videretur.

ait, τὴν διὰ θεοῦ ἐκείνου, mentem extrinsecus subire hominem, καὶ θεὸν εἶναι μόνον, idque solum esse divinum: nam a substantia astrorum est excitatio illa, qua animal intelligit, licet vis sit in corpore: eamque astrorum φύσιν non semel Aristoteles (ne cui vox fucum faciat) θεῶν divinam vocat. Quin calum Deum esse ait, & ejus σῶμα corpus, τὴν θεῶν, aliquid divinum. De Caelo lib. II. cap. 3.

Prop. X. Mobilitas singularum partium conjuncta cum divisibilitate: soliditas, & inertia sunt corporis naturaliter existentis proprietates.

D. Primum. Omne corpus natura sua divisibile est usque in indivisibilia elementa, idest quatenus est extensum: at intelligi nequit divisibilitas sine mobilitate, ut patet; ergo mobilitas singularum partium conjuncta cum divisibilitate ita est corpori naturali essentialis, ut intelligi nullum naturæ corpus sine ea possit. Ea de re igitur dubitandum non est inter homines (ex post. I. & V.)

Alterum. Soliditas philosophis est ea extensi qualitas, qua fit, ut una ejus pars alteri, ne eundem locum occupet, resistat (def. 65. p. p.): jam singulis quorumcumque naturalium corporum partibus eam vim inesse experimenta demonstrant, & ita quidem, ut intelligi nequeat sine ea qualitate naturæ corpus: corpori igitur naturali propria est soliditas. Enimvero ni ita esset, ne motus quidem ullus naturalis esse in hujus mundi corporibus posset, quin omnia continuo in punctum geometricum compenetracione abirent, uti perspicuum est.

Tertium. Inertiam appellamus cum Newtono (a): vim insitam materia, qua corpus unumquodque, quantum in se est, perseverat in statu suo quiescendi, vel movendi; ut per eam fiat, ut omne corpus de statu suo vel quiescendi, vel movendi difficulter deturbetur. Eam autem singulis corporibus inesse, & continuis experimentis discimus, & plurimis demonstratum est a Philosophis

(a) Newtonus Princip. Math. Phil. Natural. def. 3.

phis recentioribus (a); & hæc igitur vis corporeæ naturæ essentialis est.

Schol. Non sum nescius, plerisque philosophis in dubium vocari & divisibilitatem cum mobilitate conjunctam, & inertiam materiæ. Aristotelem materiam mundanam fecisse unam, undequaque immensam, immobilem atque indivisibilem, nemo est qui ignorat, modo libros ejus περὶ φυσικῆς ἀκροῦσεως legere scivit (b). Eadem fuit Arabum doctrina. Inde omnem substantiam Spinoza indivisibilem postquam conatus esset demonstrare (c), in corollario propositionis XII. rotunde scribit: Ex his sequitur, nullam substantiam, & consequenter nullam substantiam corpoream esse divisibilem. Cujus opinionis rationem paucis comprehendit in scholio. Quod substantia, inquit, sit indivisibilis, simplicius ex hoc solo intelligitur, quod natura substantiæ non potest concipi, nisi infinita, & quod per partem substantiæ nihil aliud intelligi potest, quam substantia finita, quod manifestam contradictionem implicat; quomodo substantiam pro primo ὑποκειμενῶν mundi, ut Aristoteles materiam, accipit. Quid autem? nonne experimenta perspicue demonstrant, materiam dividi? „Ei, inquit (d), respondebo, quod quantitas duobus modis a nobis concipitur, abstracte scilicet, sive superficialiter, prout nempe ipsam imaginamur; vel ut

G 2

„sub-

(a) Mousscembroek Elem. Phys. a §. 53. ad 63. Vide quæ ibi sunt adnotata in editione Neapolitana.

(b) Quidam minus Aristotelis intelligentes, quum legant in III. Phys. eum negare ullum esse infinitum magnitudine, existimant, nec materiam ab eo positam infinitam. Sed animadvertant, eum de infinito sensibili, idest de corpore infinito agere: materia Stagiritæ philosopho corpus non est. Ceterum is aperte eodem lib. cap. XII. materiam ἀπερὸν esse docet: sed quum forma (εἶδος) finiat, monet non habere suapte natura formam εἶδος γὰρ ἐκ ἐξῆς ἢ οὐκ, ibidem cap. X. Accedit, quod locus, qui est ἀνεσθητὸς τῆς μέρους, intervallum inter magnitudines, Aristotelis est materia; negat enim vacuum (vide Phys. lib. IV. cap. IV.). At locus, refragante licet philosophorum principe, infinitus esse debet, si nullum est vacuum; adeoque infinita materia; licet mundi forma finita sit.

(c) Prim. part. Prop. XII.

(d) Schol. prop. XV. primæ partis.

„ substantia, quod a solo intellectu fit . Si itaque ad
 „ quantitatem attendimus , prout in imaginatione est,
 „ quod sæpe & facilius a nobis fit , reperietur finita,
 „ divisibilis & ex partibus conflata : si autem ad i-
 „ psam , prout in intellectu est , attendimus , & eam,
 „ quatenus substantia est , concipimus , quod difficilli-
 „ me fit , tum , ut jam satis demonstravimus , infini-
 „ ta , unica ; & indivisibilis reperietur , quod omni-
 „ bus , qui inter imaginationem , & intellectum di-
 „ stinguere sciverint , satis manifestum erit . Præci-
 „ pue si ad hoc etiam attendatur , quod materia ubi-
 „ que eadem est , nec partes in eadem distinguuntur ,
 „ nisi quatenus materiam diversimode affectam esse
 „ concipimus , unde ejus partes modaliter tantum di-
 „ stinguuntur , non realiter . Ex. gr. aquam , quatenus
 „ aqua est , dividi concipimus , ejusque partes ab invi-
 „ cem separari : at non quatenus substantia est corpo-
 „ rea : eatenus enim neque separatur , neque dividitur .
 Quæ sunt mere peripatetica : nam divisionem non ad
 substantiam pertinere , sed ad *quantitatem dimensionem* ,
 omnes veterum scholarum principum docuere , in pri-
 mis S. Thomas (a) .

Sed quum Spinoza corpora dividi quidem non infi-
 cietur prout *imaginationis* sunt objectum , neget prout
 objectum sunt *intellectus* ; affirmet , aquam dividi quate-
 nus aquam , neget quatenus substantiam ; perspicuum
 est , eum (quod illi est familiare) abstracta illa substan-
 tia , quam commentus est , idea deludi . Scilicet tan-
 tundem est , quod ait , atque abstractam quidem sub-
 stantia notionem non dividi , in quo ei non adverla-
 bor ; dividi autem corpora ipsa , quod quærebatur .
 Nos , qui philosophamur *ex ideis* , quas habent homines
 (post. 1.) , quique ejus canonis sumus memores , caveto ab
ideis abstractis & universalibus ; ex iis de rebus ipsis ne
 ju-

(a) Quid igitur faciemus S. Thomæ , qui non substantiam cor-
 poris esse divisibilem , sed quantitatem docet ? Vidimus Aristoteli
 scire esse aut materiam primam , aut *εὐτελεχέων* , aut ex utraque
 re compositum . Nec materia prima divisibilis est , nec forma : sed
 quantitas velut adjunctum & accidens . Fateor me hæc non satis
 intelligere . Itaque accipio ut sonant .

judicato (a) , contenti sumus hujusmodi deridiculi erro-
 ris fontem indigitasse ; nec putamus operæ pretium
 in re evidenti argumenta non necessaria congerere .
 Atque ne quis inertia id nostræ tribuat , is sciat , duo
 esse rerum genera , quæ demonstratione comprehendi
 nequeant , *plane evidentiæ* ; & *summe obscura* . Bene
 autem habet , quod ii Philosophi , adversus quos dif-
 ferimus , Epicurei nempe , priori illi theorematum no-
 stri parti libenter subscribunt .

Jam alia est eorum ratio , qui idcirco substantiam
 corporum dividi non posse fatentur , quod ea non una
 sit , sed pene sint infinitæ , nec extensæ , nec divisibiles .
 Nam aliud est atomos corporum minime esse divisio-
 nis patientes ; aliud corpus . Illæ separari nequeunt ,
 quia simplices : at corpus ex iis compactum in ea di-
 vidi potest , ex quibus conflatur .

Quod spectat ad inertiam , ei videntur & veteres
 plurimi , & non pauci e recentioribus Philosophis con-
 traire . Nam & Democritici omnes , atque Epicurei
 actiosa corpora fecerunt : & fecit Aristoteles cum suis
 formis substantialibus , quanquam eas minime corpo-
 reas habuerint Peripatetici : nec repugnant scholasti-
 ci (b) , & omnes nunc Leibnitiani suum addunt calcu-
 lum . Nec Platonici eam negarunt activitatem , etsi
 a formis æternis reperierint (c) . At Arabes quidam ,
 præcipue Avicbron , quem B. Thomas memorat (d) ,
 omnes actiones , quæ videntur esse corporum , esse actiones
 cujusdam virtutis spiritualis , quæ penetrat per omnia
 corpora , putarunt . Quid , quod ipse Newtonus ab hoc
 naturæ spiritu plastico non abhorruit (e) ? Eandem
 nos

G 3

(a) Art. Logico-Crit. lib. 2. cap. 3. can. 4.

(b) Vide B. Th. in Summ. Theol. p. 1. quest. 115. art. 4. Goudi-
 nus comm. in Arist. phys. pag. 121—123. Ratio principii activi convenit
 substantiis corporalibus ; & inde pendent affectiones corporum ,
 quæ cernuntur in mundo .

(c) Idem ibidem .

(d) Ibidem .

(e) Vide a nobis dicta dissert. de origine & constitut. rerum cor-
 porearum , quam iterum edidimus ad calcem primæ part. superiorum
 editionum , edemusque & in hac tom. V.

nos corporum omnium activitatem in priori parte statuimus.

Si quis est, qui ita adversus inertiam corporum differat, is quaestionis vim nondum intellexit: ea enim activitas, de qua loquuntur, non pugnat cum inertia hac recentium philosophorum. Nam haec est vis illa, qua corpus reluctatur vi extrinsecus impressae, ne e statu suo deturbetur, ut in suo statu se conservet, & quare agit in causam impellentem (a). Est autem perspicuum, & eam vim omnibus inesse corporibus, & non pugnare cum activitate illa, quam isti opponunt, quaecumque ea sit.

Prop. XI. Cogitatio & ratiocinatio pugnant cum soliditate, divisibilitate, & inertia corporis.

D. Primum: Cogitatio & ratiocinatio est actio, quae plures ideae comparantur (def. 4. & 5.). Vocetur haec actio A, ideae, quae conferuntur B, C, D, E. Sint huiusmodi ideae motiones extensi solidi G. Earum conferri non possunt, nisi in unam A confluant, ut se mutuo in ea representent, quemadmodum est manifestum: id vero aut fit, quia totidem particulae solidi G, quae sint subjecta quatuor illarum motionum B, C, D, E, in unum compenetrantur; aut quia actiones tantum A, B, C, D, sine suis subjectis in unum conflunt. Posterius esse nequit, quum modificationes nequeant existere sine suis subjectis (b) (prop. 36. primae part.): superest prius; at id evertit soliditatem; omni modo cogitatio & ratiocinatio pugnant cum soliditate.

Alterum. Pone subjectum cogitans G dividi in partes,

(a) Vide Newtonum loco superius citato.

(b) Reponet quispiam, motiones omnes fibrarum cerebri, quae sint totidem perceptiones, confluere in unum cerebri punctum, ut id sensus sit communis, ibique inter se conferri. Sed principio, confluent in indivisibile, an in divisibile cerebri punctum? non primum: id enim motum nullum excipere potest. Si alterum, idem diversis ne motionibus agitabitur, an una motionem composita ex diversis? Primum me intelligere non posse fateor: posterius si est, unam haec motio ac novam ideam representabit, non plures, quas inter se confert.

tes, B, C, D, E: cogitatio A aut coextenderetur iisdem, aut non: si posterius, evertetur cogitatio, quippe diffluent ab ea ideae B, C, D, E. Prius ergo. Dividetur autem ea in partes, an indivisibilis erit in toto illo diviso B, C, D, E? Posterius inintelligibile est, neque ex eo philosophari fas est (post. 1.). Si prius, singulae ne partes, puta P, Q, R, S complectentur integram comparationem phantasmatum B, C, D, E; an singulae singula? Prius est contra hypotheseum: neque enim eo casu divisa erit cogitatio: alterum totam naturam cogitationis evertet. Cogitatio ergo & ratiocinatio cum sint comprehensiones plurimum idearum in uno impartibili pugnant cum divisibilitate.

Tertium. Libertas, seu facultas agendi aut cessandi ex ratione (def. 12.) omnibus inest, ut quisque sibi testis est uberrimus, inferiusque sumus demonstraturi: ea & a ratione pendet, & cum ea est conjuncta: nec ratio quidpiam est, nisi vis cogitandi (def. 2.). Quum autem ea libertas evertat inertiam, ut patet; sequitur & vim cogitandi cum inertia pugnare.

Præterea, quoniam corpora sunt inertia, perspicuum est Newtoni illud axioma, mutationem motus proportionalem esse vi motrici impressae, & fieri secundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur (a): at cogitatione & ratiocinatione totum hoc axioma evertitur: nam de infinitis rebus cogitamus, quin ulla actione externa agitemur: possumusque seriem demonstrationis unius interrumpere, alteramque omnino diversam aggredi, idque centies repetere, & intermittere, quod nemo, arbitrator, qui secum vivere didicit, ignorare potest: præterea, attentionem intendere, aut remittere: ab imaginatione ad intellectionem, & vicissim, quoties libeat, transire. Quae omnia cum corporis hac proprietate, atque cum iis, quae ex illa sequuntur, manifesto pugnant.

Scholion. Pugnare corporis divisibilitatem cum cogitatione observatum Cartesio perspete. Is enim sic

G 4

eam

(a) Princip. Math. lemme 2.

eam in rem scribit (a) : Nempe in primis hic adverte magnam esse differentiam inter mentem & corpus , in eo quod corpus ex natura sua sit semper divisibile , mens autem plane indivisibilis . Nam sane quum hanc considero , sive meipsum quatenus sum tantum res cogitans , nullas in me partes possum distinguere , sed rem plane unam & integram me esse intelligo . Et quamvis toti corpori tota mens unita esse videatur , abscisso tamen pede , vel brachio , vel quavis alia corporis parte , nihil ideo de mente subductum esse cognosco : neque etiam facultates volendi , sentiendi , intelligendi , &c. ejus partes dici possunt ; quia una & eadem mens est , quæ vult , quæ sentit , quæ intelligit . Contra vero nulla res corporea sive extensa potest a me cogitari , quam non facile in partes cogitatione dividam , atque hoc ipso illam divisibilem esse intelligam . Quod unum sufficeret ad me docendum , mentem a corpore omnino esse diversam , si nondum illud aliunde satis scirem . Operæ tamen fecisset pretium si paullo accuratius ex legibus mechanice rem explicuisset : nimis enim vage id dicit , præsertim quum is mentis nomine cogitationem intelligere videatur , non *υποκειμενον* cogitans .

Prop. XII. Mens humana est substantia incorporea.

D. I. Quum cogitationes sint actiones (ex def. 2. sch.) , esse debet earum vis aliqua seu potentia (p. part. prop. 66.) , ejusque vis aut potentia subjectum sive substantia (ibid. prop. 65.) . Jam si id subjectum corpus est , idearum representatio & perceptio , tum judicium & ratiocinatio non aliter fieri possunt quam conflictu partium corporis (prop. 1.) : quod quum esse nequeat (prop. 8. & ejus coroll.) ; cogitationes erunt subjecti alicujus incorporei : subjectum vero cogitationum nostrarum mens est humana (def. 1.) ; mens ergo humana incorporea est .

II. Præterea si non est incorporea , erit aut habitus & temperatio corporis ; aut ejus attributum aliquod substantiale . Primum esse nequit (prop. 9.) : nec secundum : nam quum mens pugnet cum præcipuis corporis

(a) *Medit. 6. de prima Phil.*

poris attributis essentialibus divisibilitate , mobilitate partium , soliditate , inertia (prop. 11.) , eadem substantia corporea constaret ex iis , quæ se mutuo destruant , quod fieri nequit (prim. part. prop. 1. & 2.) . Nec regeratur , ignorare nos essentiam corporis , ac propterea non posse affirmare , cogitationem non esse illius attributum essentialia : nam ut demonstrem pugnantem , ex. g. , ut triangulum sit quævis alia figura , non est necesse , ut utriusque omnes proprietates noscam : fat est scire , esse in illa figura , v. g. X. proprietatem L , quæ destruat hanc trianguli , tres ejus angulos æquales esse duobus rectis .

Coroll. Attributa essentialia mentis omnino sunt diversa ab essentialibus corporis attributis . Nempe substantiæ diversæ iisdem attributis constare nequeunt .

Prop. XIII. Mens humana , quoad vivit , perenni perceptione prædita sit , necesse est , si ex postulato primo philosophemur .

D. Principio . Mens humana est substantia a corpore distincta & diversa (prop. 12.) , ejusque attributa essentialia ab attributis corporis essentialibus distincta sunt & diversa (coroll. prop. 12.) : ergo & vita mentis quoad ea vivit , diversa esse debet ab ea , quæ corpori vulgo tribuitur , aut quæ corporis esse propria possit , nempe agitatione , aut energia corporearum partium . Jam posita est omnis vita in actione quacumque , quæ sit perennis quoad vita durat , quemadmodum per se est perspicuum (def. 10.) , ita plantam , ignem , atque alia tamdiu vivere dicimus , quoad actione aliqua vitali agitantur : actio ergo , qua mens vivit , perennis esse debet , quoad vivit . Ea vero actio aut corporea motio est , aut cogitatio ; neque enim ullius alterius actionis ideam habemus : motio esse non potest (ex superioribus) ; cogitatio ergo est : perenni ergo cogitatione mens prædita est , quoad vivit ; idest ex natura mentis incorporea simplici ac per se constanti sequitur necessario , ut semper cogitet ; ut si non semper cogitet , substantia esse non posse videatur incorporea simplex & per se constans , sed corporis tantum *δυναμικη* .

Præterea . Ponatur mens non semper cogitare ; per intervalla nunc cogitabit , nunc non cogitabit . Cogitet tempore A , non cogitet tempore B ; perpetuo a statu cogitationis ad statum incogitantia transibit : fieri autem id potest aut ipsa mentis natura , aut vi externæ alterius causæ . Primum esse nequit ; nam principio quemadmodum nullum corpus suapte natura a motu ad quietem transire potest : ita nulla substantia suapte natura ab *actione* quacumque ad *inactionem* ; cuius rei ratio est , quod qualibet res natura sua & esse & conservari exigit , nec ipsa sibi esse potest contraria : quumque nulla res iis constare possit , quæ se mutuo destruant , omnia cuiuslibet rei attributa , ex quorum indivisibili unione ejus rei essentia existit , natura comparata sunt ad *esse & conservari* ; ut idcirco nullum ens *actione sui* , sed *passione* perire possit . Deinde quemadmodum nullum corpus a quiete ad motum transire potest suapte natura , ita nulla substantia ab *inactione* quacumque ad *actionem* ; scilicet ex nihilo nihil fit (prop. 1. part. p.) , & nemo sibi dare potest , quod non habet . Suapte ergo natura mens humana , si perenni cogitatione destituitur , neque ab A ad B , neque a B ad A transire per intervalla temporis potest . Alterum si est vel corporis vi id fit , vel Dei , aut alterius . Non corporis . Quum enim mens sit incorporea (prop. XII.) , intelligi nequit conatus corporis in mentem ; nam quum nulla sit alia actio in corpore , nisi motio , idest mutatio *figure* , *situs* , *loci* ; nec ea fieri in mente possit (ex super.) ; mens a corpore ad cogitandum excitari nequit , ac qui dicunt *verba nihili effundunt* . Quoniam ergo nullus esse potest physicus influxus corporis in mentem incorpoream , corporis actione nec cessare potest mens a cogitatione , nec ad cogitationem excitari . Idipsum conficitur de quacumque alia corporea causa . Dei vero voluntate id fieri posse non negamus : sed neutri ad id confugere possumus : ut enim nos nulla habemus argumenta , quibus id non fieri evincamus , ita qui huic theorematis adversantur , nulla , quibus probent id fieri . Quin si id fit , perpetuis vicissitudinibus creari ac in nihilum

lum redire mentem oportet . Nam quum non cogitat , ne sentit quidem , neque vult , quorum nihil sine cogitatione fieri potest , nihil tum igitur est : nam in re simplici his ablatis , quid ego dicam superesse , quo sit mens ? Quin ne vis quidem corporis animatrix remanere potest , modo ad eam pertinet : quia si remaneat , rem simplicem , actuosam , intelligentem , ejus esse consciam necesse est . Interit igitur tota : totaque iterum creatur , cum cogitare iterum incipit . Id ut philosophus tueatur ? Non profecto , siquidem substantiam esse animum ponat .

Scholion . Magna inter Philosophos hujus ætatis de perenni mentis cogitatione controversia exorta est . Nam Cartesius quum mentis humanæ essentiam in *actuali cogitatione* posuisset , non potuit non asserere mentem perenni cogitatione præditam esse , quippe qua sublata , mentis essentia auferri debeat ex Cartesii doctrina . Scio respondere recentiores philosophos Cartesio , temere illud sumi , mentis essentiam in cogitatione positam ; ex quo consequitur , concidere totum illud Renati argumentum . Sed quum isti non inficiantur , cogitationem & vim cogitandi essentiale esse mentis attributum ; idem omnino conficitur : nempe ut esse nequit ens sine sua essentia , ita esse nequit sine suo attributo essentiali ; præcipue quum in entibus simplicibus *agere & esse* idem sit , quod Peripatetici non ignorarunt . Quæ res adeo est manifesta , ut non intelligam , qui hæc duo stare possint , mentem incorpoream esse , & quidem substantiam ac intelligentem , destitui vero perenni cogitatione : non secus ac si quis dicat , vim luminis & ignis actuosam cessare posse , quin quidquam de horum corporum natura immutetur . Sic itaque habeo , doctrinam hanc Peripateticorum , & Lockianorum e diametro pugnare cum animi incorporealitate , nec locum habere posse nisi in Dicæarchiano , Lucretiano , & Hobbesiano systemate . Qui secus sentiunt , rem non satis ad incudem exegere . B. Thomas omnium mortalium in his rebus exercitatissimus negat quidem , *intellectum humanum esse semper in actu* , idque